Asc.
1820.

Digitized by Google

Cat. 1820.

Digitized by Google

<36608264180015

0, E


<36608264180015

Bayer. Staatsbibliothek

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google



Amor meus Crucifixus eſt.

Digitized by Google

FASCICULUS MYRRHÆ IN VIA CRUCIS DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI COLLECTUS,

& in quatuordecim pias meditationes diſtributus

A

Quodam Patre Capucino Provinciæ Bavaricæ.

Editio Tertia.

Cum Licentia Superiorum.

Monachii, Typis Henrici Theodori à Colonia, Typographi Electoralis, & Bibliopolæ Anno 1747.

Digitized by Google

INdulgentiæ ſtationum Viæ crucis, à PP. Capucinis Provinciæ Bavaricæ erectarum, ex bina moderni Sanctiſſimi Pontificis Benedicti XIV. conceſſione ſunt eædem cum Jeroſolymitanis tam plenariis, quàm non plenariis quàm plurimis.

Porrò ad has lucrandas ſuppoſito ſtatu gratiæ tria concurrere oportet.

I. Intentionem, & applicationem earum vel pro ſe, vel (prout Benedictus XIII. & Clemens XII. conceſſerunt) pro animabus in purgatorio.

II. Orationem non tam vocalem, quàm mentalem, in qua tres mentis operationes utiliter exercentur.

III. Motum de ſtatione ad ſtationem non neceſſariò eſſe localem, ſed mentalem ſignô externô v. g. capitis inclinatione ſignificatum.

Bayerische Staatsbibliothek

Digitized by Google

ECce ego amantiſſime JESU! quoniam per gratiam tuam vocâſti me; vadam ad montem Myrrhæ, & ad collem thuris, ut hauriam de ſacris vulneribus tuis ſalutem. Da mihi, dulciſſime JESU! ut tui amore, contrito corde, & compaſſivo mentis affectu viam crucis tuæ ita percurram, quatenus amariſſimæ Paſſionis tuæ fructum percipere, & inprimis plenariam peccatorum meorum Indulgentiam obtinere valeam. Obſecro te quoque, ut reliquas indulgentias lucrandas animabus purgantibus (*exprimatur, quibus*) elargiri digneris. Qui vivis, & regnas cum DEO Patre in unitate Spiritûs Sancti Deus per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.

Statio I.

Chriſtus ad mortem Crucis condemnatur.

℣. Adoramus Te Chriſte, & benedicimus Tibi.
℟. Quia per ſanctam Crucem tuam redemiſti mundum.

Conſideratio.

Memoria. Dicunt omnes: crucifigatur. Ait illis Præſes: Quid enim malè fecit? at illi magis clamabant, dicentes: crucifigatur. Pilatus autem tradidit Eum voluntati eorum.

Intellectus. Et hoc pateris infinitæ Majeſtatis DEUS, velut agnus innocens, non habens in ore ſuo redargutiones? Aſt verè reus es mortis, quia Te pro me reo peccatore vadem conſti-

Digitized by Google



Digitized by Google

Digitized by Google

ſtitui. Tu innocens reus propter me, & ego peccator mille mortibus reus coram Te.

Voluntas. Sed doleo, & deteſtor modò omnia peccata mea, quatenus Te Deum, infinitum bonum meum, non morte, ſed infinito amore dignum, ad indignam crucis mortem condemnârunt. Tu ergo ne intres ampliùs cum ſervo tuo in judicium, ſed judicium tuum ad mortem ſit mihi judicium ad vitam æternam. Amen.

JEſu Chriſte crucifixe, miſerere mei.

Pater noſter. Ave Maria.

Digitized by Google

Statio II.

Chriſto Crux imponitur.

℣. Adoramus Te Chriſte, & benedicimus Tibi.

℟. Quia per ſanctam Crucem tuam redemiſti mundum.

Conſideratio.

Memoria. Patientiſſimus JEſus bajulans ſibi crucem ducitur ad eum, qui dicitur Calvariæ locum. Non recalcitrat; ſed exultat ùt gigas ad currendam viam ſalutis meæ.

Intellectus. An tuam, mi JEſu dulciſſime! an meam hanc dicam crucem? Hæreo. Tua eſt, quia portas eam pro gloria Patris tui, & ut mihi in dolore, & ſudore vultûs tui æternæ gloriæ pondus opereris. Mea eſt,

quia

Digitized by Google



Digitized by Google

Digitized by Google

quia iniquitates meæ velut onus grave gravatæ ſunt ſuper Te. Et nihilominus, ut eas auferas à me, illam ſuſcipis, & deoſcularis.

Voluntas. Compatior, Tibi, patientiſſime JESU! & erubeſco coram Te, quòd hucuſque vix ullam Tecum, aut pro tui amore portare voluerim crucem. Sit mihi impoſterum amor tuus pondus meum, jugum ſuave, ac onus leve. Et cum hoc pondere da mihi Te ſequi, & tandem aſſequi. Amen.

JEſu Chriſte crucifixe, miſerere mei.

Pater noſter. Ave Maria.

Digitized by Google

Statio IIII.

Chriſtus ſub Cruce corruit primò.

℣. Adoramus Te Chriſte, & benedicimus Tibi.

℟. Quia per ſanctam crucem tuam redemiſti mundum.

Conſideratio.

Memoria. Afflictiſſimus JEſus tanti ponderis trabe oppreſſus viribus totus exhauſtus, in terram corruit, proſternitur coram Patre ſuo cœleſti, humiliatâ in pulvere animâ, noviſſimus virorum.

Intellectus. Humillime JESU! inimici tui in horto audientes: *Ego ſum*, abiêrunt retrorſum, & ceciderunt in terram. Modò tu ipſemet velut vermis, & non homo proſterneris, & conculcaris?

ſed

Digitized by Google



Digitized by Google

Digitized by Google

ſed hæc eſt hora, & poteſtas tenebrarum. Ego, proh dolor! filius tenebrarum pejor tortoribus tuis toties erectô Tibi reſtiti collô, quoties tua ſancta calcavi mandata; toties Tibi inſultavit ſuperbia mea, quoties Tibi dixit cor meum, non ſerviam.

Voluntas. Surge, Domine mi, Rex & contere caput toties Tibi refractarium: humilia animam meam in compedibus tuis. En! procido ante faciem tuam, Salvator mi, ne derelinquas, neque deſpicias me, Deus Salutaris meus. Cor contritum, & humiliatum non deſpicis. Amen.

JEſu Chriſte crucifixe,
miſerere mei.

Pater noſter. Ave Maria.

Digitized by Google

Statio IV.

Chriſtus Matri fit obvius.

℟. Adoramus Te Chriſte, & benedicimus Tibi.
℟. Quia per ſanctam crucem tuam redemiſti mundum.

Conſideratio,

Memoria. Mœſtiſſimus JEſus cum cruce in via ſuſtinuit, qui ſimul contriſtaretur, & non fuit: conſiderat ad dexteram, & non invenit, niſi triſtiſſimam Matrem, cujus facies intumuit à fletu, & palpebræ caligaverunt præ lachrymis.

Intellectus. Quis tibi nunc ſenſus, cùm cernis talia Virgo? Ecce! Filius tuus, qui oſculabatur Te oſculô oris ſui: qui morabatur inter ubera tua, jam

poſt

Digitized by Google



Digitized by Google

Digitized by Google

poſt flagella, poſt ſpinas attritus propter ſcelera noſtra, portans ſibi lignum, vadit immolari pro nobis. Et ego filius ſtultus abſque jugo, ira Patris, & dolor Matris meæ, quæ ſub cruce peperit me.

Voluntas. Sancta Mater, fac, me, quæſo, dignum Filii tui in via crucis comitem, ne abjiciam amplius diſciplinam Patris mei, nec dimittam ultra legem tuam, ut addatur gratia capiti meo, & torques mancipatûs tui collo meo. Amen.

JEſu Chriſte crucifixe, miſerere mei.

Pater noſter. Ave Maria.

Sta-

Digitized by Google

Statio V.

Simon Cyrenæus poſt Chriſtum portat Crucem.

℣. Adoramus Te Chriſte, & benedicimus Tibi.
℟. Quia per ſanctam crucem tuam redemiſti mundum.

Conſideratio.

Memoria. Et cùm ducerent eum, apprehenderunt Simonem quemdam Cyrenenſem; & impoſuerunt illi crucem portare poſt JEſum.

Intellectus. O mi obedientiſſime JEſu! propoſitô Tibi gaudiô Patri uſque ad mortem obediens cœptam ſtrenuè proſequeris crucis viam. Sed Simon non niſi angariatus. Ego propria voluntate Divinæ tuæ re-

bel-

Digitized by Google



Digitized by Google

Digitized by Google

bellis, quoties non recalcitravi? quoties jugum tuum ſuave non niſi angariatus tuli? millies.

Voluntas. Pœnitet me duræ cervicis, & indurati cordis mei. Da mihi Domine cor docile, cor humile, & amabile tui, & ſequar te, quocunque iêris; etiamſi oportuerit me commori Tibi. Jube me tantùm per arctam crucis tuæ viam ad Te venire; ſed da, quod jubes, & jube, quod vis. Amen.

JEſu Chriſte crucifixe miſerere me.

Pater noſter. Ave Maria.

Sta-

Digitized by Google

Statio VI.

Veronica fit Christo obvia.

℣. Adoramus Te Chriſte, & benedicimus Tibi.
℟. Quia per ſanctam crucem tuam redemiſti mundum.

Conſideratio.

Memoria. Veronica fit amantiſſimo Salvatori noſtro in via crucis obvia, & compaſſivo amoris affectu potiùs, quàm ſudariô, ſanguine, & livore obſcuratam tergit faciem. Acceptat JEſus obſequium, & eidem faciei ſuæ imaginem imprimit.

Intellectus. Quis Te percuſſit? quis faciem tuam fœdavit, ô pulcherrime præ filiis hominũ? ut non averteres faciem tuam ab increpantibus, & conſpuenti-

Digitized by Google



Digitized by Google

Digitized by Google

tibus in Te, & genas tuas dares percutientibus, & vellentibus. Ah! unus militum ego, manu flagitioſa, ore infrunito, & maligno cogitatu, ego, ego ſum.

Voluntas. O amabiliſſime JEſu! Ignoſce mihi, ſicut & ego ignoſco debitoribus meis; & ne avertas faciem tuam à me, quā Veronica terſit ſudariô, & ego cum Magdalena rigabo lachrymis cordis mei: ſed oſtende mihi eam placatam, & ſalvus ero. Amen.

JEſu Chriſte crucifixe, miſerere mei.

Pater noſter. Ave Maria.

Sta-

Digitized by Google

Statio VII.

Chriſtus ſecundò ſub Cruce cadit.

℣. Adoramus Te Chriſte, & benedicimus Tibi.

℟. Quia per ſanctam crucem tuam redemiſti mundum.

Conſideratio.

Memoria. JEſus fatigatus ex itinere quondam ſedebat: jam laſſato in via crucis non datur requies. Plantæ, genua, manus lapidum offendiculô cruentantur: caput ſpinis ſaucium concutitur.

Intellectus. Cur denuo corruis, mi doloroſiſſime JESU! nónne DEUS Pater Angelis ſuis mandavit de Te, ut cuſtodiant Te in viis tuis, & in manibus portent Te, ne fortè offendas ad lapi-



Digitized by Google

Digitized by Google

lapidem pedem tuum ? proh dolor! peccata mea ſaxa nimis dura facta ſunt Tibi in via: petræ ſcandali: lapides offenſionis. Væ ergo mihi à ſcandalis.

Voluntas. Sed quæſo Te, Domine! noli exprobrare mihi: vade poſt me ſathana, ſcandalum es mihi: ſed converte potiùs animam meam ad Te, ut ambulem coram Te, ne unquam ampliùs uni ex minimis tuis, fratribus meis, ſim ſcandalo, & tibi offendiculo. Amen.

JEſu Chriſte crucifixe, miſerere mei.

Pater noſter. Ave Maria.

Digitized by Google

Statio VIII.

Chriſto obviam fiunt filiæ Ieruſalem.

℣. Adoramus Te Chriſte, & benedicimus Tibi.
℟. Quia per ſanctam crucem tuam redemiſti mundum.

Conſideratio.

Memoria. JESUS ſuaviſſimô ſuô dignatur alloquiô mulieres plangentes, dicens: Filiæ Jeruſalem! nolite flere ſuper me; ſed ſuper vos ipſas flete; ſi enim in viridi ligno hoc faciunt, in arido quid fiet?


Intellectus. JEſu dulcedo cordis mei! quomodo dicis; nolite flere ſuper me? cùm ipſe nos exhortaris: O vos omnes, qui tranſitis per viam, attendite, & videte, ſi eſt dolor, ſicut dolor

me-

Digitized by Google



Digitized by Google



Digitized by Google

meus ? ſcilicet ; quia non vis mortem peccatoris, ſed ut magis convertatur, & vivat, mea potiùs deflere me jubes peccata, quàm tuis compati infirmitatibus, & doloribus. Et ego homo inſenſatus adhuc rideo.

Voluntas. Dimitte ergo me, Domine, ut plangam paululum dolore riſum meum, antequam venias ultionum Dominus; ſi enim peccata mea in Te virido ligno hoc faciunt, mecum arido quid fiet? Veruntamen fiat mihi, quod beneplacitum fuerit ante Te; tuam adoro juſtitiam, & tuam imploro clementiam. Amen.

JEſu Chriſte crucifixe,
miſerere mei.

Pater noſter. Ave Maria.

Digitized by Google

Statio IX.

Chriſtus labitur tertiò ſub Cruce.

℣. Adoramus Te Chriſte, & benedicimus Tibi.
℟. Quia per ſanctam crucem tuam redemiſti mundum.

Conſideratio.

Memoria. Iterum, iterúmque labitur JEſus recidivus, genua debilitata, ſcapuli inclinati cruci ſubſidunt tantò frequentiùs, quantò hæc premit graviùs.

Intellectus. Siccine toties laberis Fili hominis? ſcilicet in ſimilitudinem hominum factus abſque peccato, ut poſſes compati infirmitatibus noſtris. Ah! ſentio ego legem contradicentem legi mentis meæ, quacum, proh

do-



Digitized by Google

Digitized by Google

dolor! toties cecidi, ut jam non ſim dignus vocari Filius tuus. Sed quid faciam miſer, aut quò fugiam? niſi ad Te Deus meus, fortitudo mea.

Voluntas. Jube Domine, afferri denuo primam gratiæ tuæ ſtolam. Dixi, nunc cœpi. Surgam, & ibo ad Te, Deum Parem meum. Tu virtus mea, Tu ſpes mea. Et ſi iterum deficeret fragilitas mea, ſuppone manum tuam, ne collidatur; etenim manus tua deducet me, & tenebit me dextera tua. Amen.

JEſu Chriſte crucifixe, miſerere mei.

Pater noſter. Ave Maria.

Digitized by Google

Statio X.

Chriſtus veſtimentis ſuis exuitur.

℣. Adoramus Te Chriſte, & benedicimus Tibi.

℟. Quia per ſanctam crucem tuam redemiſti mundum.

Conſideratio.

Memoria. JEſus pauperrimus, in cruce non habens, ubi caput ſuum reclinet, modò etiam tunicâ ſuâ ſpoliatur; Scilicet pauper & nudus mundum ingreſſus, dum vadit ad Patrem, nihil tollit inde.

Intellectus. Quàm bellè te præparas ad pugnam Athleta Divine? Ultimò luctaturus cum hoſte, triumphans in Temetipſo virginalem pudicitiam, veſtimenta deponis. Aſt ego pauper

Digitized by Google



Digitized by Google

Digitized by Google

per & inops pugil, quoties meâ circumdatus infirmitate, ſine te in arenam deſcendere cogor, toties vincor. Intùs me implicat amor proprius, foris me illaqueat reſpectus humanus.

Voluntas. Ah! ſolve tandem, Dilecte mi, vincula colli mei, ut abjiciam opera tenebrarum, & induar arma lucis: Quò Tu ſis una mei ſpes, portio, vitáque cordis: In te divitiæ, deliciæque meæ. Amen.

JEſu Chriſte crucifixe, miſerere mei.

Pater noſter. Ave Maria.

Statio XI.


Chriſtus crucifigitur.

℣. Adoramus Te Chriſte, & benedicimus Tibi.
℟. Quia per ſanctam crucem tuam redemiſti mundum.

Conſideratio.

Memoria. Eò tandem cum innocentiſſimo JEſu devenit, ut perfidi Judæi crudeliſſimè extento corpore, manibûs, pedibúſque perforatìs ferreìs clavîs inter duos latrones cruci Eum affigerent.

Intellectus. JEſu vir dolorum! quid ſunt plagæ iſtæ in medio manuum tuarum? noli dicere: hîs plagatus ſum in domo eorum, qui me diligebant. Sed dic: hîs plagatus ſum in domo



Digitized by Google

eorum, qui me diligere debebant, & oderunt me. Ego, proh dolor! in domo tua feci ſcelera multa, propter quæ tam crudeliter in cruce attritus es.

Voluntas. Quæſo te, Domine! confige timore, & amore cor, & animam meam. Spiritus eſt, qui vivificat: caro non prodeſt quidquam. Tolle, tolle, crucifige eam, ut Tibi fiant in holocauſtum amoris, cor, pedes, manus, & caput. Amen.

JEſu Chriſte crucifixe, miſerere mei.

Pater noſter. Ave Maria.

Sta-

Digitized by Google

Statio XII.

Chriſtus in Cruce moritur.

℣. Adoramus Te Chriſte, & benedicimus Tibi.


℟. Quia per ſanctam crucem tuam redemiſti mundum.

Conſideratio.

Memoria. JEſus crucifixus expanſîs manibûs, capite inclinato in manus Patris commendat ſpiritum, & ſic clamans exſpirat.

Intellectus Aut amor, aut furor eſt, qui Te, mi Chriſte, peremit. Eſt amor, & furor eſt: hic meus, ille tuus. Hic meus inſaniæ mentis furor, quo toties fui inter crucifigentes ſibimet Te Filium DEI. Ille tuus infinitus amor, quo pro me mori-

Digitized by Google



Digitized by Google

Digitized by Google

riens in cruce placando iram Patris traxiſti nos ad Te.

Voluntas. Deus meus, amor meus! trahe me poſt Te. In manus tuas, in amantiſſimum cor tuum commendo ſpiritum, & animam meam. Suſcipe illam; quia tua eſt; Tu eam creâſti, Tu redemiſti: Tibi vivam, Tibi moriar. Moriar amore Tui, ut Tibi exſolvam amorem, quo amore mei mori dignatus es: moriar Tecum, ut mortem meam cum Tua uniens, Tibi moriar, Tibi vivam in æternum. Amen.

JEſu Chriſte crucifixe,
miſerere mei.

Pater noſter. Ave Maria.

Sta-

Digitized by Google

Statio XIII.

Chriſtus de Cruce deponitur.

℣. Adoramus Te Chriſte, & benedicimus Tibi.
℟. Quia per ſanctam crucem tuam redemiſti mundum.

Conſideratio.

Memoria. Corpus exanime Salvatoris mei JEſu de cruce deponitur, & in ſinu Matris repoſitum à Joſepho ab Arimathæa ſyndone munda involvitur.

Intellectus. Venit hora, Virgo doloroſiſſima, & jam eſt, in qua tuam ipſius animam pertranſivit doloris gladius. Ecce! ſponſus ſanguinum in ſinu tuo. Sed anima, Dilecti tui, quantumvis agglutinata animæ tuæ, quò decli-

Digitized by Google



Digitized by Google

Digitized by Google

clinavit? avulſa eſt de corpore ſuo propter me. Ego reus ſum mortis.

Voluntas. Sancta Mater, pia, chara, mihi jam non ſis amara. Anima mea agglutinata eſt animæ tuæ, & animæ Filii tui, ne permittas, ut eam avellat à vobis amara mors. Tu Mater DEI, Tu Mater rei, Tu Mater Judicis, Tu Mater exulis; cùm ſis Mater utriuſque Filii, ne ſinas filium reum damnari per Filium DEUM. Amen.

JEſu Chriſte crucifixe, miſerere mei.

Pater noſter. Ave Maria.

Sta-

Digitized by Google

Statio XIV.

Chriſtus in ſepulchro reponitur.

℣. Adoramus Te Chriſte, & benedicimus Tibi.
℟. Quia per ſanctam crucem tuam redemiſti mundum.

Conſideratio.

Memoria. Cùm autem ſerò factum eſſet, venit quidam homo dives ab Arimathæa, & petiît corpus JESU, & poſuit illud in monumento ſuo novo, quod exciderat in petra.

Intellectus. JESU amoris victima! petram Tibi eligis in ſepulchrum, qui dixiſti: ſine mortuos ſepelire mortuos ſuos. Sum mortuus ego tuus peccato, Tu mortuus meus in crucis patibulo;



Digitized by Google

lo
mo
cri

ar
of
ac
N
t
S
c

Digitized by Google

lo ; & quotidie adhuc pro me moreris in incruento Miſſæ Sacrificio.

Voluntas. Sine ergò, ut ſepeliam Te mortuum meum. En! offero Tibi cor meum luteum, ac terrenum velut agrum figuli. Monumentum hoc Tibi apertum eſt: petra dolore ſciſſa eſt. Si ſyndonem requiris? cor mundum crea in me Deus. Si aromata? Credo in Te, ſpero in Te, amo Te ſuper omnia, Deus meus, & omnia. Amen.

JEſu Chriſte crucifixe, miſerere mei.

Pater noſter. Ave Maria.

Gra-

Digitized by Google

Gratiarum Actio.

DOmine JESU Chriſte, qui ad inflammandum corda noſtra Tui amoris igne ſacroſancta Crucis Myſteria hac via nobis meditanda tribuiſti, gratias Tibi ago pro omnibus gratiis, & indulgentiis, quas mihi, & animabus purgantibus per amariſſimæ Paſſionis tuæ merita concedere dignatus es. Quæſo te, erga eadem ſanctiſſima crucis tuæ Myſteria, talem cordi meo Divini amoris tui infunde affectum, ut per gratiam tuam totius vitæ meæ greſſus dirigantur in viam ſalutis æternæ. Qui vivis, & regnas cum Deo Patre in unitate Spiritûs Sancti Deus per omnia ſæcula ſæculorum.

A M E N.

Bayerische Staatsbibliothek München
Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google